IOANNIS MARTINI PARISIENSIS DOCTORIS MEDICI

ad Iosephi Scaligeri ac Francisci Vertuniani Pseudouincentiorum Epistolam, Responsio.

ECOLE DE SANTE DE PARIS
ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ

PARISIIS.

Apud Ægidium Gorbinum, sub insigne Spei, prope collegium Cameracense.

M. D. LXXVIII.

IOANNIS MARTINI PARISIENSIS DOCTORIS

Medici ad Iosephi Scaligeri ac Francisci Vertuniani Pseudouincentiorum Epistolam, Responsio.

VEstram vicem, Iosephe Scaliger, ac Francisce Vertuniane, vehemēter doleo, quod ex Philosophis, Iurisconsultis, Cuiacij successoribus, ac Medicis, primo Nicolai Vincentij chirurgi ignobilem quidem, sed humanam tamen, deinde vesparum Pictauiensium brutam naturā inusitata mutatione formæ, non κτ̀ μετενσωμάτωσιν modò, sed & μετεμψύχωσιν induentis. Ad hanc enim vsque diem Galliam caruisse monstris (vt de ipsa prædicat Hieronymus) receptum fuerat: sed vestrę literæ secus contigisse significauerunt. Nam corporum suis dimensionibus antea disiunctissimorum eam conspirationem ac coitionem, quæ faciat, vt tres vnus Geryon sitis, & commutationem conditionis ac naturæ pristinæ, mōstrum omni sacrorum genere expiandum quis non vi-

det? Cum vos Hippocratem in libello de capitis tromatis fœdissimis maculis aspergebatis, philosophi, si diis placet, & medici eratis, & Vincentius à vobis tertius vulnera curabat: Sed cum etiã de respõsione cogitare cœpistis, & moniti sapere recusauistis, Apollo atque Æsculapius tantam immanitatem animorum non ferendam rati, vos in Nicolaum Vincentium Pictauiensem Chirurgum, & hinc in vespas eo modo quo Circe socios Vlyssis in bestias, abire iussit: & vt delira, falsa, aientia, negantia scriberetis in eum qui sui similes literas cuderet μιτπμώρφωσ. Hæ Idibus Octobris in meas manus forte venerunt, & iucundissimæ fuerunt. Nam cum contra vos non verbo aut contumeliis, sed re, pro Hippocrate disseruerim, & ἀποδεικτικῶς, quantum ars medica patitur, stabiliuerim omnia, vt excogitari vix posse omnes crederent, quid contra responderetis: vbi literas vidi, speraui fore, vt aduersarum sententiarum mutuo conflictu, veritas elucesceret. Atque sic vestra auidissimè percurri. Sed de spe decidi, & nihil præter aut iniurias, aut nugas, aut falsam eius qui sua meis immiscuit, descriptionem subesse animaduerti. Itaque, quoniam vestræ literæ conuitiorũ (à quo scribendi genere prorsus abhorreo) pleniores fuerunt, quàm eruditionis, an Pictauienses Vespas, tanquam ad Hypanim vnius diei bestiolas summo mane genitas, &

inclinato in vespertinum tempus die morituras, nauci facerem, aliquandiu dubius animi pependi. Vicit enim qui in omni controuersia licegit, vt præter vngues ac dentes, quibus rodant & secent, & vocem, qua cœlum, terras, ac maria personent (talia sunt anicularum vbi vapularint arma) aduersarijs nihil reliquerit. Tamen quia contentionis de literis vmbram ipsæ in se habent, dum ab opere de capitis tromatis tantisper vaco, vt alacrior ipsum à te Scaliger, intra trium aut quatuor horularum interuallum temerè deformatum matura meditatione sibi restituam, visum est paucis epistolæ, quam omnes in vnum vestra consilia cōferentes, vix toto quadrimestri (anticipastis enim diei obsignationem) parturire potuistis, satis facere, atque interim vim simili interdum vi (id enim & legibus licet) non dissimulato nomine propellere. Iurisconsultū enim scire decuit eos qui alienum nomen tanquam personam citra principis auctoritatem, aut publicæ vtilitatis occasionem, & per fraudem vsurpent, lege teneri, & capite anquiri. Sed quod fuerit vestrum hac in re consilium satis intelligo. Cum enim inanis gloriæ cupiditate ampullaremini, & de vobis, quoniam cæteri tacent, honorificè loqui velletis, laudem quæ ex ore vestro apud omnes male audiret, alieno nomine prædicandam esse duxistis. Prudentiam & pudorem laudarē vberius, si in vestris

literis non desideraretur. Nam L. Duretum regis & medicum & medicinæ professorem, imo etiam (vt verius Vertunianus quam vellet) medicinæ dictatorem, qui fasces docendi laureos viuus & sanus iam viginti septem annos tenet à nullo docto vel assis æstimari scribitis. Næ omnium hominum Scaliger ingratissimus es. Nullus qui doctus est, Duretũ æstimat; qui ergo eras, cum eius solius fidei tuã sanitatem totos viginti dies Lutetiæ committebas? Sunt Lutetiæ innumeri meri medicinæ soles, qui radijs vniuersum orbem illustrant: sunt Lutetiæ innumeri meri medicinæ Castores ac Polluces, qui omnes tempestatis morborum noctes & hyemes, à corporibus depellunt, & hunc tibi vnum affulgere voluisti. Nõ noram inquies: nunquam enim cum eo (vt de Archelao Socrates) eram locutus. Ergo cum idem apud te pluribus verbis de medicinæ sacris ageret, cur annuebas, extollebas, in os laudabas, colebas, & principibus nostræ ciuitatis viris audientibus (intelligo quid loquar) vtinam meo patri cognitus fuisses, exclamabas? Rudis, credo, eras, sed postquam Pictones reuersus Nicolaus Vincentius tonsor esse cœpisti, aut de putido equi morticini cadauere vespa pictauiensis natus es, politior euasisti. Propter eam quam affingis Dureto ignorantiam, auditores medicos montem Pessulum aduocas, vt L. Ioberto dent operam. Hanc ora-

tionem Scaliger Grámaticus expoliuit. Nam eos Vertunianus tã in Romano ſermone Barbarus, quam olim Datys in græco, L. Iouberto (neſcit enim ou diphthõgum latinam non eſſe) in diſciplinam tradidiſſet. Ego nõ ſum ita inhumanus Scaliger, vt pro te aliquãdo non ſtem. Diceris à Vertuniano (plures enim hoc opus contexuiſtis, & meæ eſt δυνάμεως κριτικῆς, quid tuum, quid alienum diſtinguere) homo minime malus. Vertunianum qui ob caſtigationes in librum περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων dictatas, deuinctus tibi eſt, ἄξωνα in te eſſe non decuit. Nam eris homo minime malus, ea forma, qua comici mancipium minime malum hercle: Id eſt vtcunque bonus ac ſimplex eris. Itaque nulla magna cauſa ſuberit, cur L. Duretus, & I. Martinus inimici ote ſint erga te animo. Haud ſcio cur idipſum toties in epiſtola inculcetis, & cur nõ veſtra δὶς κεράμβη hîc θάνατος. Nam vt de L. Dureto reſpondeam, quid ille mali fecit, aut quid in vos acerbius deſignauit? De vobis ne verbum quidem. Sed Vertunianus qui ad hanc vſque diem ſtudia tam male collocauit, ſcurra cõductitius apud nos commentationes cõtumeliarum & nugarum plenas pro Hippocratis interpretatione excudi iuſsit. In his L. Duretũ non ſecus quam ex ergaſtulo mancipium contumelioſiſſimis verbis habet; & virum vel Scaligeri teſtimonio erudiriſſimum linguæ duntaxat latinæ docto-

ſem, ignarum rei anatomicæ, medicorum errorem, paraphraſtem, ac planum intonat. In Vertunianum itaque Talio eſto. Hæc Paris perfide fax prima tua eſt, quæ te tuámque Troiam in cineres rediget. Quid enim emeritus miles cõmeruerat, vt in eum armareris tyro? An aliquando ab imperatore medico miſſione de Hippocraticis caſtris minus hõneſta tuo delicto multatus fueras? Propter iſtud tuũ flagitiũ ac ſcelus, ea mihi tecum diſcordia eſt, quæ lupis & agnis obtigit. Tuas bellas, imo belluinas in aphoriſmos, coacas, præſagia, iampridẽ obſeruationes expecto. In his nulla oratio, nulla dictio, nulla ſyllaba, nulla litera, nullus apex futurus, quin emiſſitiis oculis diligentiſſime explorem, & quaſi Argus nulla tui Mercurij arte ſoporandus aut appetendus tibi ſtupido ac bruto, tanquam alteri Io excubem. Et iam mihi animus præſagit (nam ex vngue leonem) quam hic omnia ſint leuium delirationum plena. Quid hoc ad Scaligerum inquies? At nihil Duretus de Scaligero vnquã cogitauit, quod ſciam, acerbius. Et ſi qua homini iurgãdi cauſa eſt, in me, in me, qui corpore, vt vetus verbũ eſt, noui hæc effugere, orationis ſuæ ferrum conuertat. Mihi tamen (nemini enim vnquam fui voluntarius inimicus) mea cauſa paucis agenda eſt, priuſquam ad reliquam epiſtolam feſtinẽ. In ea quam in ſchola Cameracenſi frequentiſſimo hominum cõ-

curſu

cursu habui, oratione, Vertunianum nescio cuius Vertumni impulsu in peius versum ac mutatum capitis male sani hominem, à sacrario virtutis auersum, bœoticam suem, & alienis furiis agitatam pestem proscidi, diripui, laniaui, mutilaui. Quid ita? Hippocraticis sacris initiatus, & τὸν διδάξαντα με τὴν τέχνην ταύτην ἴσα γενέτῃσι ἐμοῖσιν ἡγεύμενος, ἐς γένος τὸ ἐξ ὠυτέου ἀδελφοῖς ἴσον ἐπικρινέων ἄῤῥεσι, viro innocēti illatam iniuriam vlcisci volui, vt debui: & feci, vt Vertunianus, qui maledicendo summam voluptatem ceperat, male audiendo ipsam amitteret. Iniusti est non propulsare iniuriam à quo possis & debeas. In Iosephū Scaligerum qui fui? In multis artium humanitatis libris illustrandis hominis dexteritatem commendaui. Vt caueret ne Parmenonis illius similis haberetur qui cum castra nunquam vidisset, de armis apud imperatorem diceret, consilium dedi. Sententiam de rebus quas oratione ratio expressisset ferri, atque proinde suam κρίσιν ad Hippocratem minimum pertinere admonui. Ne sibi suisque coniecturis (Simia enim catellos dum amplectitur arctius sæpe suffocat) nimium fideret hortatus sum: sed si fidelia aliquot exemplaria Hippocratis haberet, vt ea diligenter euolueret, & de ipsis cum medicis communicaret, auctor esse conatus sum. Si pergeret, quo incipiebat pede, fore (interest enim totius reipublicæ) vt Hippocrates vulneribus

mutilus, & vlcerosus medicorum omnium maximéque Lutetianorũ manus imploraret. Nullum adhuc tantum parricidium à me credo commissum est, vt lex horrendi carminis in me feratur. Ergo in me cur rabit? cui si recta monentiin posterum fidem adhibeat, minorem sui nominis & laudis iacturam faciet. Sed scio quid hominem excruciat. Rerum mathematicarum, medicarum, philosophicarum, & illum omnium artium liberalium orbem atque ἐγκυκλοπαιδείαν homini non attribui. Sed Varronis, Festi, poetarũ, oratorum, historicorum cancellis claustrísque coercui. Hinc illæ lachrymæ. Cur magno & impudenti mendacio me contaminassem; qui in vno Hippocratis libello tot errores quot castigationes dinumerem, si hoc vnum συγκλείπτει, ἀντὶ τοῦ συμβλέπτει excepero. Sed & hoc Gornarius antequam Scaliger natus esset, viderat (occultat enim latine reddidit) & Duretus antequam Scaliger Hippocratem vnquam attigisset, obseruarat. Ego adhuc in hac causa omni culpa vaco. Inter interpretãdũ forte homini factus sum iratior. Honestam cum illo, vt cum quouis alio, & liberam de literis contentionem fore putaui. Dolui tamen quod in literarũ republica quæ libera est, regnum possidere vellet, atque (est enim quicquid in literis citra authoritatem aut demonstrationem dicitur confidentius, tyrannicum) ad opprimendum

Hippocratem tyrãnidem affectare, & in vno libello, cuius deprauatio cum vitæ iactura cõiuncta est, iam occupare, Itaque restiti, & quo ad hoc aget modo, resistã: Quid enim in eius castigationibus aliud legas, quam stipites, Maiales, sciolos, magistellos, monstra lectionum, omnia inepta, delenda, denique quam sesquipedalia verba? cur hoc aut immutandum, aut summouendum loco sit, si in Scaligeri schola quæris, pro omni demonstratione est, quod αὐτὸς ἔφη. Satis, imo nimis pro Imperio quisquis es. Qui si talis esse pergis (vt ad epistolam redeam) tam glorior quòd me natum nescieris, quam olim Democritum exultasse ferunt, quod Athenas transeuntem nemo cognouisset. Sed cur Scaliger & Vertunianus me nõ norũt? quia sum pædagogus ac homo nouus, aiũt. modesta mea mẽs, pudibũdus animus, & demissa facies ad noui hominis plenum honoris titulum erubescit, & ab aduersariis oblatũ δῶρον οὐκ ἄδωρον accipit. Quorum patres ac maiores nullo functi sunt in republica magistratu, nullâque exquisitiore cõditione excelluerunt, sed ipsi primi quia virtute præluxerunt, pro suis atriis imaginem primam suæ familiæ posuerunt, & fecerunt, vt si antea noti non fuerint, à se acceperint nominis exordium, illi homines noui nuncupantur. Atque vtinam is sim, Is enim esse malo, quam de illustri principum

prosapia, Dionysius Corinthi. Sed tamen Vertuniane vbi tui sunt --- stantes in curribus Aemiliani? Aut Curij iam dimidij? --- vbi tuorum Coruinorum nasi minores? vbi tui Galbæ auriculis (nolim ex scelere) nasóque carentes? Pædagogi nomen quod obiecistis ominis fidem adimplebit, & quomodo. Fabius Annibalis pædagogus habitus & dictus, hostem in Italia superauit, rem & rempublicam Romanam cunctando restituit, sic ego in hac pro medicinæ aris & focis suscepta causa vobis pædagogus ero, & parta victoria opimísque spoliis reportatis Hippocratísque téplo consecratis, triumphabo. Ad rem redeo. Charior vt scribitis erat futurus Scaligeri in libellum Hippocratis labor, si Vertunianus à Dureto iniuriosius habendo sibi temperasset. Hoc de Nicolai Vincētij tonsoris officina est, & ab eo veritas erupit; adeo isthæc tria capita monstrum referentia tumultuarium quiduis tam pro se quam contra se in vnū congerunt. Lutetiana ciuitas splendor orbis Duretum amat, Lutetiana Academia scholarū omniū lux alumnum amplectitur, & iste Bambalio Vertunianus, homo nullo numero, homo Cimmerius in calumniando id egisse, quod Herostratus circumfertur, qui incenso Dianæ templo famam sibi comparauit, æterno silentio multo posteriorem. Nam mehercule Iosephi Scaligeri erroribus, propter ignorātiam artis

Hippocraticæ aliqua excusatione dignis, hac impuri hominis obtrectatione non exigua labes affertur, & vix ipse à coniurata societate sceleris vindicatur. Duretus tamen melioris notæ Scaligerum esse putat, & ab importuno loculeio circunuentum credit. Quomodo, si I. Martinum spe cathedræ, & magna mercede cõduxit, vt in Scaligerum declamaret? Abi, Abi in malam rem blatero, qua homo falsidicus, falsificus, & falsiiurius dignus est. Quibus id testibus, aut tabulis conuincis? Omnes viri boni qui me meósque mores norunt, te falsi damnant, vel hinc maxime, quod iam ei alias eandem vicariam aliquot mensium operam liberè commodarim. Itaque quod hæc criminatio leuioris ponderis videretur, subiunxistis hac maxime causa I. Martinum sæpius esse interpellatum, atque pretio solicitatum, quod Duretum, qui huius libelli iam vnam atque alteram interpretationem fecerat, glossemata plurima latuissent. Dolet nõ ætas modo nostra, sed & omnis antiquitas, quod adulterina pleráque sint à falsariis hominibus in Hippocraticis libris passim ad calces dispersa atque disseminata. Cum enim Ptolemæus ex ducentis voluminum millibus bibliothecam Alexandriæ ædificaret, & Hippocratis libellos magno emeret, hominum auaritia (nihil enim tam sanctum est ac inuiolabile quod hac corrumpi non possit) libris eius cumulus ac-

cessit: & quia mole æstimabantur, homines improbi perfidiosis auctariis sua fecerunt cōmoda. Liber vero de capitis tromatis propter vnum aut etiam alterum vocabulū quod Scaliger delendum esse censet, plurisne ve̜niisset? Nam quod Galenus libello περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων multa doleat παρεγγεγραμμένα, de eo qui est περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων, loquitur, cuius bona pars in finem huius operis irrepserat. Quæ tamen auctoritas, & quia Scaligeri temeritatem expugnat, & qui vir in gre̜cis Vertunianus sit aperit, hîc ascribenda est. Postquam libro περὶ διαίτης ὀξέων & ἀφορισμῶν multa πρὸς τοῖς τελευταίοις μέρεσι Galenus addita conquestus est, rationem subnectit, τῷ ἐν μνήμῃ πολλοῖς εἶναι τὰ πρῶτα τῶν συγγραμμάτων, τοὺς παρεγγράφοντας ἐς τὰ τελευταῖα παρεγγράφειν, atque id ex nostro de capitis tromatis codice confirmat. Adulterina Scaliger primis libris non inseruntur, quoniam statim in aprico forent, sed in extremis delitescunt, & quæ tu tibi spuria fingis in limine, pro foribus, pro vestibulo sunt? Si quid ad he̜c habeas ipse videris. Vt tamen scias ---- quo sis comitatus Achate, sic Galenū Vertunianus latine loqui iussit, & ij qui interserunt, solent que̜ memorie̜ infixa sunt, vltimis inscribere. An non hic, Humano capiti ceruicem pictor equinam? an non te que̜ mihi falso exprobras λεξικὰ defecerunt? Id enim vult Galenus notha extremis libris affingi, quod ipsorum principia omnium

memoria teneátur. Ob has tuas ineptias, Vertuniane, ni caues, Scaligero renunciatione amicitię iustas pœnas dabis. Is enim politiore literatura prę̃ditus infantiam tuam nunquam feret: & in Titulo de verborum significationibus optime versatus, te ad singula orationũ momenta hæsitantem fastidiet. Quam vero versatus sit, ex nostra περὶ τρώματος ἢ τραύματος controuersia facile dignosces, in qua me ἀντιφάσεως accusat.

Scripseras enim τραῦμα, & ionice τρῶμα: ego contra Ionicum quidem esse contendebam τρῶμα, sed non vt esset ἐκ τραύματος Atticorum. Id est, non vt re penitus conuenirent, soláque dialecto ac voce distinguerentur. Hos putat Scaliger ἀντιφατικοὺς λόγους. Qui tandem? tibíne tam inops Ionia est, vt nullos domi vernas generet, nullos indigenas habeat, sed tantummodo Atticę aut alterius διαλέκτου aduenas cõmodatos vtendos fruendos asciscat? non sic res habet: ac proinde vt τρῶμα nõ sit ionicum, ἐκ τραύματος, non desinit esse Ionicum. Et si in palęstra Peripateticorum exercitatus fuisses, ab eo quod κατά τι enũciatur, ad id quod ἁπλῶς, nihil effici intellexisses, aliàs quia tu non es Hippocratis Aristarchus bonus, bonus quoq; non esses. Sed hoc spinosum, Quid tandem concludebàm? τρῶμα καὶ τραῦμα idem non esse. quid tu contra? τρῶμα καὶ τραῦμα idem esse. Ex duabus propositionibus idem de eodem affir-

mantibus atque negantibus, necesse est alteram veram esse, & alteram falsam. Vtra ergo sit, expendamus. τρῶμα καὶ τραῦμα idem sunt inquis. Audiamus ergo Galenum (cuius orationem ascribere ausus non es, ne causa caderes) sua lingua loquentem, τρώματα ὀνομάζει ἱπποκράτης τὰς μεγάλας βλάβας, ἐκ τινὸς ἔξωθεν γινομένας, ἢ καὶ χωρὶς τραύματος. Hac te salebra nunquam expedies Scaliger. An τρῶμα καὶ τραῦμα erunt vnum, & dabuntur τρώματα ἢ καὶ χωρὶς τραύματος. isthęc forent ἀντιφατικά. At subdis, id est etiam si ea vis nō accedat quę vere τρῶμα καὶ τραῦμα dicitur. Quænā est illa vis? si βίαν intelligis in oratione est: tota siquidem ἐκ τινὸς ἔξωθεν: si significationem, sit iterum Galenus arbiter, apud quem alibi πάσας τὰς βλάβας οὕτως ὀνομάζουσι κοινῶς τρώματα. Ea est vis τοῦ τραύματος, vt omnis grauis offensio cuiuslibet partis ab externa causa eius ambitu cōprehendatur: Quod ipsum si περὶ τραύματος dixeris, falso dixeris. Eidem enim τραῦμα συνεχείας ἐστὶν ἐν σαρκὶ λύσις ἐξ ἐντομῆς. Hîc duo necessaria sunt, vt τραῦμα fiat, carnosam esse substantiam quę patiatur, & telum esse incîdens, à quo patiatur. cum τρῶμα, tam in osse quam carne, & à telo duro, graui, atque obtuso cū integritate cutis infligi possit. Non est qđ suppetias à Vertuniano expectes, qui dum illic angustiore τὸ τρῶμα significatione vsurpatum scribit, frustra subterfugit. Hîc enim gratis nil creditur, obsignatis tabellis, quibus istud vestrum ampliotis

significationis

significationis τὸ τρῶμα apud Galenũ ac Hippocratẽ cõfirmetur, agendũ prius est. Contendo enim tantum inter τρῶμα καὶ τραῦμα quantũ inter gen⁹ ac speciẽ interesse, Hippocratémq; solutionẽ continuitatis in carne ab incidente telo nomine notaturũ pro suo tromate, atticorũ τραῦμα, atque ἕλκος esse mutuatum: quod ei necesse nõ fuisset, si suo domestico tromate id ipsum qđ accito traumate præstare potuisset; ἄκρομφον ἐπὶ τραύματι θανάσιμον, οἱ αἵματα μὴ φαινόμενα τραυμάτων ἰσχυρῶν ἐόντων καὶ πονηρῶν pro singraphis affero. Vos itaque in neruo enecuit meum ex Homero ἀπὸ συζυγίας de prõptum argumentum οἶνός σε τρώει μελιηδὴς ὥστε καὶ ἄλλους βλάπτει. Si οἶνος τρώει, quod ex vino nimio consurget ebrietatis πάθημα erit τρῶμα: aliàs οἶνος οὐ τρώει: nec tamen teste Scaligero τραῦμα. Is enim ὑπὸ τοῦ οἴνου τραυματίας græce ferri posse non putat. Profligata itaque questio est, & grecis medicis disceptatoribus τρῶμα καὶ τραῦμα nõ erunt idem. Hoc sensit Scaliger sed subodoratus animo consequi nõ potuit. Nam τραυματίαν καὶ πτρωμένον distingui præ se fert, sed πτρωμένον non nisi mentione partis in orationem venire. Trahendus est ad veritatis tribunal, vt disceptatore Hippocrate causam dicat. Imperat enim is κατέχειν τὴν κεφαλὴν τοῦ πτρωμένου. hoc de maxillę quidẽ inferioris luxatione est: tamen nulla facta mẽtione partis, aut determinatione: & quod te magis animo disrũpet, istud τὸ πτρωμένον, est eius τρώματος,

quod eſt ἄνευ τρεύματος, atque ad luxationẽ ſimplicem refertur. In noſtro libello ὁμοίως τρωθεὶς per ſe poſitum temerarij iudicij te conuincit.

Propter hoc τοῦ τρεύματος, καὶ τρώματος diſcrimẽ ego tandem aduerſus Vertunianum concludebã, Hippocratẽ ſuum libellum περὶ τρωμάτων debuiſſe inſcribere, quod ad ipſum plura pertinerent, quam τρεύματος aut κατάγματος nomen cõplecteretur: tu cõtra Scaliger conueniẽtiſſimam περὶ καταγμάτων inſcriptionem futuram fuiſſe aſſeris. An non hic Pictaua ſus Coam Mineruam docere vult? Te, ſi diis placet, præceptore Hippocrates indigebat, vt & græcè, & libris à ſe conſcriptis nomen dare diſceret. Meæ concluſionis rationem atque firmamentum ἐν τῷ ὅσῳ ψιλῶσαι quæ non eſt κάταγμα, ſed τρῶμα, & ad hunc librũ referenda eſt ponebã. Tu rurſum vrges, & tã pro te quã pro Vertuniano ſpõdes, vos manus eſſe daturos, ſi Hippocrates hoc toto περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων commentario quicquam vel κατὰ συμβεβηκὸς de carne curanda ſcripſerit. Conditionem accipio. ἕλκος (eſt autem ἕλκος etiam vobis teſtibus διαφθορὰ τῆς σαρκὸς) ἐν τῇ [κεφαλῇ] οὐ χρὴ τέγγειν οὐδενὶ, οὐδὲ οἴνῳ ἄλλως ἥκιστα, οὐδὲ καταπλάσσειν οὐδὲ μοτῷ τὴν ἴησιν ποιέεσθαι, οὐδὲ ἐπιδέειν ἕλκος ἐν κεφαλῇ. Hîc Hippocrates ſuo more prius docet, quid in carne capitis vulnerata faciendum non ſit: mox ſubiicit, ἢν μὴ ἐν τῷ μετώπῳ ᾖ τὸ ἕλκος: tandem ἐνταῦθα γινόμενα τὰ ἕλκεα καταπλάσσειν καὶ ἐπιδέειν μᾶλλον κεχρῆσθαι con-

cludit. In frontis, quæ capitis pars est, muscu-losa cute cataplasma, & epidesin Hippocrates pręcipit, an non igitur curandæ carnis in capite rationem docet? Quid idem aliquanto post? κακὸν δὲ καὶ ὑγιαίνοντι εἶναι τὴν σάρκα καὶ μυδῶσαν· remedium statim subsequitur: ἀλλὰ χρὴ διάπυον μὲν ποιῆσαι τὸ ἕλκος, ὡς τάχιστα. Idē haud ita procul monet membranam interiorem nudam καθαρὴν ὡς τάχιστα ποιεῖσθαι, ne corrumpatur. At nullę remediorum formulę. hæ ex libro περὶ ἑλκέων petendæ. Iam ergo vos.---mutire nefas nec clam nec cum scrobe---nisi forte quod κατὰ συμβεβηκὸς in carnis curationem inciderit. At vos ea etiam lege ac stipulatione mecum conuenistis. Qui μὴ ἱκανὸν ἕλκος scalpro dilatandum, aut ὑπόκοιλον incidendum docet, is plura docet, quam vt κατάγματος appellatione contineat, non plura quam vt τρώματος ambitu comprehendat. Quæ omnia hoc libello Hippocrates perficit. Ex pacto itaque---Ite triumphales circū mea tempora lauri, victique & vincti Vertunianus & Scaliger demisso vultu & veste squalida laureatos currus sequantur.

Vt ad vestrā cladē nihil desit qui noui vincere, victoriam persequar. Hominū κεφαλὰς οὐχ ὁμοίως σφίσιν αὐταῖς πεφυκυίας, capita partibus naturę nō similis reddidi. Grāmaticus ad istud naturę similis tanquā alter Orestes ad Eumenidum verbera furore ęstuans, ô mōstrum, inclamat: & quid est partes naturę similis? In quo id de-

mum mihi videtur improbare, quod ſimilitudinem quæ ποιότης, naturæ, quæ οὐσία quędã eſt adiunxerim: τὸ ὁμοιομερὲς igitur Græcorũ ablegет neceſſe eſt. Nam ſolæ noſtri corporis partes, quæ ſingularum particularũ cum ſuo toto conuenientiam habẽt, à ſimilitudine ὁμοιομερεῖς appellantur, & ἐν ὁμοίῳ naturæ ſimilis ſignificatio continetur, Tulliúſque infinitæ materiæ particulas inter ſe ſimiles eo ſenſu dixit. Non poſſum Vertuniane in hac veſtra cauſa, te præuaricationis nõ accuſare, qui (& ſi res ad Cuiacij ſucceſſorẽ attinebat) ipſi in ea re cauere debuiſti. Cum enim quid eſſet medicis φύσις ignoraret, mirum nõ eſt, ſi iſtud ὁμοίως πεφυκέναι non intellexerit, & in medico partes ſimilis naturæ non tulerit. Te vero ſcire oportebat θερμὸν, ψυχρὸν, ὑγρὸν, ξηρὸν, & quę ex horum contemperatione atque harmonia conſurgunt κράσεις, quę omnia ſunt ποιότητες, interdum apud Hippocratẽ φύσεις eſſe: ideoque φυσίων quaſdã ad æſtatem, quaſdam ad hyemem εὖ ἢ κακῶς πεφυκέναι: Interdum vero ἕξεις, quę ſunt μορίων διαπλάσεις eodem donari nomine: vt cum ἐπιδ. primo eos omnes in tabem incidiſſe memoriæ prodidit, quorum ἡ φύσις ἐπὶ τὸ φθινῶδες ἔῤῥεπεν. Quid poſtea? φύσις tam κρᾶσις quam ἕξις eſt: & eo modo nunc eſt locutus Hippocrates. nã vt κεφαλὰς οὐχ ὁμοίως πεφυκυίας doceat, oſſium capitis φύσιν in ſuperficie σκληροτάτην, πυκνοτάτην, ſtatim à ſuperficie μαλθακωτέρην, ἧσσον πυκνὴν, κοιλοτέρην, in diploe

μαλθακοτάτην, κοιλοτάτην, καὶ μάλιστα συνεχέα: eandem λεπτοτάτην καὶ ἀσθενεστάτην in sincipite, ἀσθενεστάτην in temporibus, ἰσχυροτάτην in occipite, quæ omnia sunt ἔξωθεν, describit. οὐχ ὁμοίως πεφυκέναι, τὰ ἔξωθεν καὶ κράνιον quæ ποιότητος sunt, Hippocrates enūciauit. τῇ τοῦ ποιοῦ κατηγορίᾳ maxime proprium, vt secundum eam aliquid dicatur simile atque dissimile: esse itaque poterunt aliquæ similes, aliquę dissimiles in natura partes. sed vt dē omnia quæ hîc Hippocrates, esse ἀνόμοια, tamen vel græcè ὅμοιον, vel latine simile de eo quod fuerit ἀνόμοιον dicam, & si tuas, certe delicatulas Ciceronianorum aures nō offendam. vt enim εἰώθασιν οἱ Ἕλληνες ὅμοια καλεῖν ἐνίοτε, τὰ ταὐτὸν ἔχοντα, sic & latini: & propterea causas quæ eædem sunt, cum Cicerone dicam inter se simillimas Vbi iam tuus ante victoriam Scaliger triumphus? σοφίαν ἀντιῶν de partibus eiusdem capitis antica, postica, & quę ad latus, sum interpretatus. Instas nihil immutatum in verbis sed corruptam esse sententiam: quod stare non potest. Nam si verba sunt rerum notæ, & oratio interpres mentis, qui nihil in verbis innouat, in re & sensu nihil peruertit. Tandem tu parum in dialecticis versatus, lepido & te digno vteris argumento. Si vnius capitis in suis partibus comparationem Hippocrates facit, quomodo in eo ipso futuræ dissimiles esse intelligentur? Bardum ita me dij ament, & stupidum es animal Scaliger, qui nullis circuitio-

nibus inuolutam, ſed expeditam & explicatam Hippocratis ſententiam animo non concipis. κεφαλαὶ οὐχ ὁμοίως πεφυκῦαι, & ῥαφαὶ ὁ κατὰ τὰν τὰ πεφυκῦαι duo ſunt: ſuturarúmq; ſimilitudo atque diſſimilitudo, huius ſecũdi membri eſt, vt oſſium natura primi. Duo hîc proponi cum quiuis vel literis leuiter tinctus colligat, inficiari nõ potuiſti, ſed alterũ ad proiecturas, quę adſint aut abſint, alterum ad ſuturas retuliſti. Ex Charybdi in Scyllam incidis: Nã Hippocrates ſuturarum & proiecturarum διήγησιν coniungit, & quoniam quid vnum efficiunt ſimul pertractat. Dicere enim ſuturã ὀβελιαίαν κατὰ μῆκος ἐς τὸν τράχηλον, ἢ μέτωπον produci, aut ipſam atque στεφανιαίαν decuſſari, & per χιασμὸν diduci, perinde eſt ac ſi proiecturam anticam aut poſticam, aut vtranque deſiderari dixeris. Atque ſic ῥαφῶν οὐ κατὰ τ' αὐτὰ πεφυκυῶν ratio, ſuturarum & proiecturarum hiſtoria terminatur. Quid præterea Hippocrates? Os eiuſdem capitis vniuerſum ſecum primo comparat, quatenus extremitates duras & denſas habet, media vero molliora & laxiora: tum ſingula, ſed eiuſdem ſemper capitis inter ſe confert, quatenus poſticum robuſtius, ſummum debilius, anticum naturæ inter vtrumque mediæ. Aut hoc eſt docere κεφαλὰς οὐχ ὁμοίως πεφυκῦας, aut plura quam propoſueris, explanare. Hippocratis adhuc cauſam tutatus ſum vt meam, nec in eo quod ſequitur deſeram. Impudentiam & ca-

ninum dẽtem Vertuniani deteſtatus fueram, quod Hippocratem, cuius omnia ſunt tanquã ex tripode, communem omnium medicorum parentem deceptum non modo tacita cogitatione concipere, ſed palam ſcribere auſus eſſet: & iuriſconſulti propter auctoritatem doctiſſimi viri Hippocratis ſeptimeſtres fœtus vitales legitimóque matrimonio natos ſtatuentis modeſtiam cõtra obieceram. Id mihi vitio datur, quod meliorem mentem homini inſano ſum deprecatus. aduerſariorum tamen rationẽ aſcribere & examinare operę pretium eſt. Hippocrati Columbos, Fallopios, & ipſam αὐτοψίαν opponunt: & his vt in arte ſua peritis credendum cẽſent: aut igitur Hippocrati credant, aut pro imperito habeant neceſſe eſt. An non noſtra tempora noſtrámque αὐτοψίαν raritatis accuſare, quam Hippocratem temerariç, & ad vulgi opinionem accommodatæ ſententiæ damnare præſtitiſſet? Os in ſua ſuperficie σκληρότατον atque πυκνότατον, hoc propter habitum denſiorem, illud propter temperamẽtum ſiccius, eſſe volebam, tam quia durities à ſicco ſeparari non poteſt, quã quia ex ſecundis qualitatibus in primarum cognitionem facile deducimur: ἔλεγχον putat Scaliger. Ad hæc quid medicus? vnde & de quibus artis ſuç locis contra me eruit argumenta? Ex comparatione facultatum naturalium, quç ſunt à temperamẽto, nec tamen in temperamenti cognitionem nos ducunt. Et ſi ſophiſtam agit, qui ad me re-

fellendum id non vsurpat quod est ὁμαλὲς, tamen non reprehendo. Nam mihi latissimus patet campus, quo possum in tuam ignorantiã, Vertuniane, exspatiari, si velim. Quorum sunt facultates omnes naturales optimæ, hos statim intelligo esse temperatissimos: quorũ facultas quę trahit, retinet, distribuit, excernit, excellens est, hos statim intelligo calidos & siccos, quorum coquens atque assimilans vegeta, hos statim intelligo esse calidos & humidos: Atque sic Galenus ex actionibus ad facultatum, & ex his ad temperiei perspicientiam me vel inuitum trahet. Quo vestra diligentius euoluo, eo plura aduersum vos suggeritis argumenta. Etenim aliam huius libri auctoritatem de puerorum ossibus tenuioribus, mollioribus, cauis & plus sanguinis habentibus, in medium profertis, & de temperamento explicatis. Hic ego vestro vos iugulabo gladio. Tenue, molle, cauum & ἔναιμον, quæ omnia secũdaria sunt ossis pueri tẽperamẽtum significãt. Itaque secundæ qualitates & primas, & quod ex primis cõflatur demonstrant. At id mihi non permittebatis. Sed si molle, cur nõ etiam durum? Contrariorum enim vna ratio est.

Non lenior sed in qua tam ẽ de hoste manubias referam περὶ ὁμοχροίας pugnanda pugna est. Mihi enim ὁμοχροίη æquabilis superficies est, & quasi quidã extremitatum læuor atque com-

planatio.

planatio. Miratur Scaliger cur in vocis interpretatione tam curiosus fuerim: & quis hoc negauit vnquam, quærit? Iustè & quæris, & quereris. nam nemo secus, nisi qui literarum græcarum ignarissimus est. At Vertunianus tuus is est. Reprehendit enim, & merito, Cornarium, quod & ὁμόχροιν, sit concolor: tum Fallopium, quod (hominis verba refero) linguæ græcæ ignarissimus, ὁμόχροιαν æqualem superficiem, deinde Vuidium quod æqualitatem & læuigationem, tãdem Duretum, quod æqualẽ æquatam & perpolitã planiciem expresserit. An non vt in notatione nominis tantisper insisterem iusta fuit occasio? Interim Vertuniane, etiam Scaligeri testimonio nullus iam es, cui si, vt est, ὁμόχροιν æquabilis superficies est, cur non erit Dureti æquata planicies? Prostrato Vertuniano superest vt Scaliger frequenti petitione transfossus procidat. ὁμόχροιν non nisi alterius cõparatione dici ait, & me aliter sensisse scribit. Hoc falsum, & aut Scaligeri, aut eius, qui mea vel male excepit, vel perfidiosè descripsit, merum commentum. ὁμόχροιν de his quorum coniunctę superficies sunt, intelligit. Hoc aliquid, sed non satis: imo latius quam par est. Nam potest esse vt in subasperis, μετ' ἀνωμαλίας extremitatum contactus ac copula, nec erit ὁμόχροιν aut corp⁹, aut superficies, quoniam vel teste Scaligero, vt fiat ὁμόχροιν requiritur ὁμαλότης. Quod cum ex prognostico con-

D

firmarem, mirum mihi est cur auctoritatem Celsi nõ opposuerit, cuius interpretationi nõ assentiebar. Is enim Hippocratis ὡρίον ὁμόχροον, eiusdem coloris esse trãstulit. subiicit cum vis ὁμοχροίας in cõtiguo cõsistat os supernum cuti esse ὁμόχρουν, quod superficies cohęreant: Hoc in toto corpore falsum: quia inter cutim & os semper membrana περιόστιος interiacet, & sæpe musculus. Imo contendo διὰ τὸ συνεχὲς καὶ ὁμαλὲς magis, quã διὰ τὸ συναφὲς ὁμόχρουν esse factũ. Etenĩ ἐν τῷ περὶ σαρκῶν quærit Hippocrates cur ἀπ' ἐμπεσόντος oculi lędantur: ὅτι, respõdet, ὁμοχροίη οὐκ ἔστιν. At oculi Scaliger non sese contingunt: magnũ est inter vtrunque nasi, orbitarum & ossis ἠθμοειδοῦς interstitiũ: sed vterque ὁμόχροος in sese est, ob continuitatem, æquabilitatẽ & læuitatem tunicæ. Quia itaque quẽadmodum lineæ punctis, ita extremitates, lineis, & corpora extremitatibus tanquam τοῖς ὅροις continuatam seruant sibi quantitatem, illæ demum superficies quæ lineis, & corpora, quæ extremitatibus μεθ' ὁμαλότητος compinguntur, Ionibus dicuntur ὁμόχροα. Quid plura? auctoritate Celsi, nihil hic aliũde interiectum efficiebã: tu orationem Celsi, Hippocraticæ non magis quam cuiusuis alterius similem esse defendis. Id ex vtriusque (ea tantum ascribã quæ ad rem faciunt) comparatione videbitur. Sic enim Hippocrates σκληρότατον τὸ ἀκρώτατον, ἡ ὁμοχροίη τοῦ ὀστέου τῇ σαρκὶ, καὶ τὸ κατώτατον τὸ πρὸς τῇ μήνιγγι ἡ ὁμοχροίη

τὸ ὀστέον ἢ κάτω. Quid Celsus? Caluaria vtrinque læuis, & qua cerebri membranam contegit, & cute capillum gignente contegitur, tum aliquãto post, ossaque eius ab exterioribus partibus dura, dura ab interioribus. ossa ab interioribus exterioribúsque dura, σκληρότατον ἀνώτατον καὶ κατώτατον, caluaria vtrinque læuis ὁμόχροιον ἄνω καὶ κάτω, & qua cerebri membranam contegit, & cute capillum gignente contegitur ὑπὸ τῇ σαρκὶ καὶ πρὸς τῇ μήνιγγι verbum de verbo fere reddunt. Contumax Scaligeri pertinacia, elatus fastus, & impudens arrogantia, me γραμματικωτέρως quam par est, istud persequi coegerunt: quod abunde se satisfecisse putet si Celsi orationem Hippocraticæ minimum similem ἁπλῶς, pro sua maiestate responderit. De significatione τῆς ὁμοχροίης satis, de dictione nũc videndum. Reprehendor enim quod ἐξ ὁμοῦ, καὶ χροίης. ὁμόχροον deriuarim. Probaueram ex hac Aristotelis, non è lexici, Scaliger, auctoritate τὸ γὰρ χρῶμα ἐν τῷ πέρατί ἐστιν ἢ πέρας. διὸ δὲ οἱ πυθαγόρειοι τὴν ἐπιφάνειαν χροιὰν ἐκάλουν. Retorques Pythagoræorum dialectum Tarentinam, Hippocratis Ionicam fuisse. Nimis præceps vestræ epistolæ editio, ad hãc pluribus erat opus oculis, quoniam Lutetiæ sunt acutissimi lynces. Χροιὴν Ionicum esse non vis sed χροιά: ego χροιὴν καὶ χροιά, siue ad colorẽ, siue ad superficiem pertineãt, Ionica præstabo. Ex isto Hippocratis in libro περὶ ἀγμῶν, χροιῇ τεκμαιρόμενος rem confecisse putas:

Nunquam ne perfidæ tuæ manus ab adulterinis lituris ſibi temperabũt? legitur enim apud Hippocratem, legitur inquam χεῖ σημαινόμενος. Vt in hoc à tuis partibus libens, qui Ionicum eſſe non negarim χεῖα, ſto, ſic & nunc tibi inuitiſſimo in meam ſententiam deſcẽdendum. Nam ἐπιδ. ſexto χεῖν ὑπὸ τὸ κάκιον, ἢ βέλτιον ἐπιδῶσι. χεῖν itaque Scaliger, ἢ χροῦς Ionica. Quin pro corollario victoriæ & χεῖα Tarentinis in vſu fuiſſe vel te reſte demonſtro. Nã Pythagoras Pherecidem diſcipulum pediculari morbo lãguentem inuiſit, & quibus malis diuexetur interrogat. Ille vero χεῖ δῆλα. Etſi philoſophus erat ex vna Cycladum, tamen veriſimile eſt, eum hac Dialecto reſpondiſſe, qua præceptor interrogationem conceperat. Tarẽtina autem vel te ſuffragante conceperat. Et ſi iam hoſti in hoc conflictu clauam de manibus extorſi, fugientem tamen, & vix ictus ferentem, obicéque manuum vno ſeſe tutantẽ ratum eſt perſequi. Quod mihi forte erit difficile, qui infœlici τῶν λεξικῶν defectu, iſtud Herodoti ὄργια ποιέεσθαι, pro orgiis vſurparim. Si negauero Scaliger, vt iure poſſum, iam tua orgia, quæ non magis credo verbis & ſcriptis, quam te ipſa (liberaliter enim, vt ais, potas; & ego ex cantu auem cognoſco) celebras, nullius contra me põderis ſunt futura. Sed tamen, quia exporrecta, & ſine fuco mihi frons eſt, veritatis eſto ſimplex oratio. Cum in tuas caſtigationes, di-

midiatam Herodoti periodum solum transtulisses, atque totam mihi dari vellem, vt facilior esset de significatione, quam theatro tuo subseruiens falso τῇ ὀμοχεθίῃ attribuebas, coniectura, nec prolixiorem quam occupationes ferrent Herodoti librum perlegere esset integrum, auditorum vni prouinciam demãdaui, vt euolueret, & me postridie reuertentẽ, præstolaretur, atque descriptam in chartula sententiam traderet. Reperit, imprudens stylo ἔργα pro ἔρια notauit: Veni, vidi, legi, periodũ, vt erat scripta latinam feci, ab eo tempore, nihil mihi cum Herodoto fuit: & nisi tu notasses fortasse non aduertissem, atque ex meis aduersariis istud, ἔργα, excerptum retinuissem, typisque mandauissem. Vt tibi in ea re aliqua parua occasio leuiculæ suspicionis fuerit, nõ tamen Mænas ac Thyas pampinis inuoluta, & vino sepulta, contra nos linguæ tuæ tam spurcum, & mero nimio graueolens virus, tota epistola vomere debuisti, & tãquam Agaue bacchando obuium quem discerperes quærere. In eo enim quod est πάρεργον, & obiter dictũ cur tantam tragœdiam excitasti, nisi vt aut terrorem incuteres, aut tuũ ἐν τῇ ὀμοχεθίᾳ errorem eludendo legeres! Nam ad me tantum pertinet tuam ex Herodoto ὀμοχεθίην, tã esse de sanguine qui ab infimo cubito, quam qui à summo aut medio manarit. Esse enim apud Herodotum totã brachij superficiem ὀμοχεθίην volo, & tu in epi-

ſtola (adeo nõ ſemper tecũ habitas) cõceſſiſti. Προβολὴν ἔχειν eſſe procidere proiecturas, Vertunianus architectatus eſt, ego ſũ inſectatus. Et male inquiũt, quia proijci & procidere συνώνυμα ſunt. Tibi à tua venatione, Scaliger, multũ otij eſt, qui verborum anceps in minutulis ſingularum ſyllabarum angulis inhæres, & nihil niſi verba dare potes, ſed prudentiores ſumus, quam vt os ſublinas. Qui lapis natura ſua deorſum fertur, deorſum procidit, ſed non proijcitur: in verbo enim proijciendi vis ab externo eſt. Quod non ſolum tanquam Minerua Phidię in Acropoli eminet, ſed etiam ſeſe proijcit, id προβολὴν ἔχει: contra quod tanquam deſidentibus terris ſic corruit, vt nuſquam extet, id demum procidit. Nec ad rei ἀπόδειξιν Vitruuius ſatis eſt, qui (vt ipſe de ſe loquitur) nec ſummus philoſophus, nec Rhetor diſertus veniam ab imperatore petit, ſi quid parum ad artis grammaticæ regulam fuerit explicatum. Tamen in Vitruuio haberi proiecturas coronarum, proiecturas Cantheriorum ſinuare, perſecare, proiecturis tegere ſcriptum obſeruaui, proiecturas procidere legere nõ memini. Niſi iſtud Vitruuianum, ſpirarum proiecturæ non procedant extra ſolidum, in procidant, adulterinum, conuerteritis, & caſtigatio veſtræ farinæ ſit. Sed vtcunque ſit, quia in oratione nihil affectatione odioſius eſſe poteſt, iſtud tanquam affectatum, & in Hippocratis

interpretatione Mimallones bombo durius explodo. Tota controuersia περὶ τοῦ, ἀποχωρέοντα, vt vno mihi verbo circunscribatur, quia pluribus in cômentario res agetur. Scaliger ineptus grammaticus, quod per κοιλότερον, & κοιλότατον expressum est, idem esse putat, quasi comparatiui & superlatiui (ah totiesne iste quæret antiquo me includere ludo) discrimen nullum sit nec quantum sit ex Aristotele didicit, apud quem ex comparatiuo positiuum cô cludere non licet. Hoc tamen in Hippocratis oratione, quæ nunc discutitur, omnino valere non volo. Sed vt nostra disputatio ordine procedat toto Hippocratici sermonis hęc esto series, vt τὸ σκληρότατον, καὶ πυκνότατον, extremitatum tantum sit, τὸ κοιλότερον καὶ μαλθακώτερον, eius partis ossis, quæ ab extremitatibus propius abest, τὸ κοιλότατον, καὶ μαλθακώτατον autem διπλόης. Vnde sequitur suis legibus facta conclusio, totum os esse πρόσγλῳ ὅμοιον: quoniam solæ ossis superficies densę sunt & durę, totaque profunditas caua & mollis, sed κατ' ἧττον in osse & κατὰ μᾶλλον in ossis diploe. Ista Hippocraticæ orationis ἀνάλυσις, sensum oculis quasi videndum proponit, & Scaligerum aperit qui veste latebat: Id est quam in rebus ad artem medicam pertinentibus nouitius sit, ac rudis, quasi in propatulo spectandum collocat: præsertim cum habitum molliorem, minus densum, magisque cauum, qui ossis est, cû diploe mollissima

& maxime caua confundat. Harum rerum ignoratione in Vertuniano maior, quam in Scaligero,& in re,& in dictione errorum ilias. In re quia sic modioli exsquãmantes ab excidentibus nullo modo different. In dictione quia nunquam nisi διπλόην κρανίου dici velit. At medicorum nullus διπλόην, nisi ἁπλῶς, dixit: Galenus ter sexto methodi, Paulus ter sexto sui operis, Hippocrates tam hîc, quam secundo de morbis, Aretæus in cura cephalææ, & Ephesius Rufus, in cuius oratione declaranda Vertunianum à me reprehensum Scaliger tacuit, quod nulla arte excusare posset. At de hoc aliàs. Quas ergo congruas voces, tanquam notas proprias ipsis rebus designandis seligent, in quibus tam absurde ineptiunt. Itaque discrimen latinorum græcorum esse διπλόην censent: cum quæ duo sunt τῆς διπλόης in vnum cogamus, & quod vnum suapte natura est, discrimine in duo pluráue partiamur: denique cum τῆς διπλόης vtrumque extremum sit particeps, at discrimine duntaxat alterum. Atque sic λόγος discrimen est, quod animalis naturam vnam quidem, sed communem tamen in formas diuidit, & hominem à bruto separat; nec est διπλόη, quoniam ad brutum nil pertinet.

Humanum tamen est errare, labi, ignorare, sed bonis per fraudem imponere scelestum, falso enim scribunt me πάλιν κάρτα ὀλίγου, ποτὶ ἀνε-

πάτου καὶ κατωτάτου, si de eius summa infimaque superficie exceperis, interpretatū esse, cum scripserim & dictauerim, si de eius summa infimáque superficie tantillum exceperis. Quod ad ὅμοια σαρκία πολλὰ, quæ hominibus ociosis negocium facessunt, credo illos mente & oculis talpas, immensas carnium fibratas moles in angustis cauernulis quæritare: non autem tenuia quædam fila & aranearum telæ instar, quæ vna cum tuniculis vasorum, aut in anfractuosis terebrarum gyris sese insinuant, aut de modiolorum denticulatis serris dependent. In particula ὅμοια nihil ausus sum innouare, sed coniecturam pronunciare cōtentus fui, & an non vt in aphorismis ὁκοίας σάρκας, sic hîc ὁκοῖα σαρκία scripsisset, in auditoris mente ac cogitatione relinquere. ὁμοίως καὶ ἧσσον τρωθέντα, pari aut impari modo læsum aduersarij vultu sereno excipere non possunt: quia par aut impar numerus, non autem modus dicitur. Tantam sermonis religionem in Peripatetico cōmendabo, cuius quantitati discretæ proprium est, vt secūdum eam aliquid sit aut par, aut impar: sed in Scaligero, id est in grammatico non tolerabo. Nam æquale, simile, par, ex affinitate significationū cōfunduntur. Sic Ciceroni par & æqualis oratio, sic par & similis scelestorum Salustius. θανασιμώτεραι, καὶ χαλεπώτεραι ἰητρεύεσθαι καὶ ἐκφυγγάνειν τὸν θάνατον, lethaliores offensiones, & tam ad curationem recipiendam, quam

ad mortem euitandam difficiliores, vobis bilem mouet, & recipere curationem tanquam alienum & inusitatum reiicitis. συνώνυμα promiscue in vsum venire voluisti Scaliger: cur ergo si admittitur curatio, non etiam recipitur? An non qui suasit, vt Xerxes reciperetur in vrbē, suasit vt admitteretur? Sed pater tuus sic loquitur. Difficilius ad curationē aut mortē molestū est vobis: cur ergo Liuius difficile ad fidem, aut Tullius difficilius ad eloquendum?

Ὀλίγην σάρκα paucam carnē nouè dixi. Inops latinitas eo me adegit. Est enim aliud ad arbitrium loqui, & aliud auctorum interpretationi inseruire. Malo enim paucam, quam Vertuniani modicam. In modico modus quidam & mediocritas, in pauco defectus, cuius causa sinciput periculosius sauciatur: si quid restituendum, ὀλίγην σάρκα exiguam carnem reddi velim: sed in exiguo paruitas magis quam paucitas. Itaque ὀλίγην σάρκα coactus paucam carnem dicā. Quomodo Tullius μεσότητα grecorum significauisset, nisi imitatione medietatē nouauisset? Hoc ἐξίσων τε ἐόντων τῶν τρωμάτων, quia tibi abblādiens non sustuli, arrogās sum. Vertunianum, Thraso, tuum tibi Gnatonem habes, qui si ais, ait, si negas, negat, qui ad tuos vultus sese cōponit: denique qui si iusseris in Capitolium faces est immissurus. Ego Turnebos & Auratos, qui grecos auctores cū omni religione tractarunt, aliquando cupidissimus

audiui, qui si quid in ipsis corrigebant, aut auctoritatē, aut rationem in medium afferebāt: ac fere semper vtrumque coniungebant. Quā-diu secus feceris, & opinionis errore in libera literarum republica tyrannicum principatum tibi finges, tua tibi habebis & ages. sed non sine ratione loquor, inquies. Nam istud ἐξιζῶντι ἐόντων τρωμάτων interpretatio est eius quod sequitur, ὁμοίως τι τρωθεὶς ἢ ἧσσον. Hoc cùm scribebas Scaliger, Vertuniano, si modo medicus fuisset indigebas. Nā ὁμοίως τρωθεὶς καὶ ἧσσον, indicationē ab ægro habet, ἐξισῶντι ἐόντων τρωμάτων, indicationem à morbo: & morbi magnitudinem cum viribus sauciati Hippocrates confert: atque sic alterum alterius interpretatio non est. At ἐξίζος grecum non est. Eho iam incipis erudiri. in tuis castigationibus nihil tale somniaueras. O pulchellum Solonem qui γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος. ἔξιζος ea forma est, qua in tuis lexicis ἐξίζω, & ἐξιζοῦν: in quibus vt Hippocratis ἔξιζον non inueneris, tamen in ea audaciæ, & arrogantiæ naui esse non debebas, vt hinc summoueres. Imo pro ea quam Hippocratis maiestas exigit à nobis religione, & quasi veneratione τὸ ἔξισον ad veterum γλώσσας referre potius, quā expungere decebat. Quod si vox tantam tibi nauseam pariebat, ἴζων legere integra remanēte sententia conferebat.

In editione priore veterem lectionem, τῶν ἄλλων τὸ κατὰ τοὺς κροτάφους ἀσθενέστατον retinueras:

ſed nunc τὸ δὲ ἄλλον tuo palato ſuauius eſt. Credo fore vt ſi denuo ad hunc libellum animum applices, omnia noua moliaris, & ſic tertius jam nobis de capitis tromatis liber oriatur.

Itaque ſatius eſt aliquid tibi vltro concedere. Imo nihil. Superlatiuus, Scaliger, genitiuum pluralem regit. Sed dicet iſtud ἄλλον eſſe collectiuum ſcilicet, aut hîc ſuperlatiui pro comparatiuo ἐναλλαγὴν ſtatuet. Itaque ſatius eſt auctoris mentem exponere. Vult enim in ſincipitis oſſe, de quo iam dixit, aut frontis, aut occipitis, de quo mox, eſſe leuiora omnia quã in temporibus, propter inſignẽ muſculum, à cuius offenſione ſæpe mors, aut certe κάρος. Eſt itaque in temporibus os τῶν ἄλλων potius, quam τὸ ἄλλου ἀσθενέςατον. Iſtud Vertunianus videre debuit, & te docere πάντα τὰ κατήγματα τῶν ὀςέων ἀσινέςερα quam ſi his integris φλέβες τι ἢ νεῦρα ἐπικαίρια ἀμφιφλᾶται.

Qualis ergo calamitas cum muſculi κροταφίτου contuſionem atque colliſionem (id enim vel Iulio Scaligero teſte latine licet, quod Vertunianus tamen nouus de cœlo Cicero non probat,) oſſis fractura comitabitur. Nam & ob ſitum partis decliuẽ & muſculi principatum, ſcalpro χιασμὸν facere ea in parte non licet, aut modiolum admouere.

Pro oſſe quod eſt λιθοειδὲς in arenam deſcendendum, κρόταφον in capite eſſe nomen partis, non oſſis docui, & ex me didiciſtis. Ibi vena

est κοίλη ἢ ἰσχυρὴ à pulſu non minus quam à duro & craſſo corpore: Imo etiam forte magis: quoniam ἰσχὺς in actione & viribus magis lucet quam in mole. Ibi os per ſuturam λεπιδοειδῆ cōiunctum, peculiariter os temporis, eiuſque partem inferiorem λιθοειδῆ nuncupari dixi: Sed tamen tota tempora ab Hippocrate deſcribi. De controuerſia nunc videndum. Sic Hippocrates τῶν δὲ ἄλλων τὸ κατὰ τοὺς κροτάφους ἀσθενέστατον. Quid Vertunianus? Ceterum ex reliquis oſſibus, id quod ſub temporibus conditur infirmiſſimum eſt. Prò deûm atque hominum fidē quod prodigium interpretationis! Tibi ergo τὸ κατὰ τοὺς κροτάφους, idē eſt ac τὸ κάτω τῶν κροτάφων? An cum Hippocrates κατὰ τὸ κάτηγμα faſcias apponit, infra fracturā apponit? Hoc eſſet ἔνθα, ſtupide, & non κατὰ. Hæc tua perfidiæ plena interpretatio homini necando ſatis eſt. Detur tamen κατὰ eſſe κάτω: quod nā ergo os deſcribitur? σφηνοειδὴς reſpondet medicus. At hoc os ad caput eo ſenſu quo toto iſto libro vſurpat Hippocrates (pro caluaria ſiquidem vſurpat) non pertinet. At hoc os minima ἀποφύσεων portiuncula vix ad temporā perreptat. At hoc os vndequaque ita ſeptum eſt, atque ita latet, vt fracturis non ſit obnoxium. Quid ergo ad nos, qui curanda tromata ſuſcipimus? Sed nimis vrgeo, commouebitur homo rudis, & ſtatim veſpa euolabit. Detur (meam liberalitatem mirari debes) os σφηνοειδὲς deſcribi. Hippocra-

tes ergo offis, quod peculiariter temporum appellatur, & futuris, quæ sunt λεπιδοειδεῖς cum sincipite coarticulatur, mentionem nullam fecit. Hoc tamen erat quam maxime necessarium: quoniam tam fragile est, vt cum sincipite, in fracturæ societatem veniat, nec futura tanquam interrupto continuitatis interuallo defendatur. Quo factum est, vt istud ἐννοήσας τὸ πάχος αὐτοῦ καὶ τὴν σκληρότητα βέλτιον ᾠήθην εἶναι τὸ μετρίως ὀξὺν ἐξελεῖν μᾶλλον, ἢ τῆς ὑπερβύσεως φροντίζων σεῖσαι σφοδρῶς τὸν ἐγκέφαλον, ad exiguam crassitudinem referendum censuerim. Nam fractura, de qua hîc sermo est, sincipitis est, quę per totum os temporis exporrigitur: hoc quia durum est, viribus ad infigendam serram, aut intrudendam terebram indigebit: atque sic ad ζῶαν res deueniet: illa tam propter continuitatem neruorum, quam profunditatis ac spacij breuitatem, statim cerebrum inuadet. Istud est quod propter vestram ieiunitatem, ac sterilitatem rationum leuiter reprehenditis. Sed per sacra medica rogo vos si tam crassum ac durum os temporis est, cur ἀθαύστατον? cur vna cum sincipite fractũ? Verum in re quam oculus definire potest, nimium immoror, & vlterius disputando progredi ineptum est. Et Scaliger, & Vertunianus, & quiuis alius os temporis tractet si præ tenuitate, atque læuore non pellucet vti laterna punica, ego causa cadam. Debilitatis temporum demonstrationem addit

Hippocrates, συμβολή τι γὰρ τῆς κάτω γνάθου πρὸς τὸ κράνιον, καὶ κίνησις ἐστὶν ἐν τῷ κροτάφῳ ἄνω καὶ κάτω, ὥσπερ ἄρθρου, ἡ ἀκοὴ πλησίον γίνεται αὐτῆς. Ex Vertuniani cortina ſic oratio tanquam ex oraculo exeat. Sub hoc enim mala inferior cum caluaria committitur, ac ſurſum ac deorſum mouetur, vt ab articulo: auditus quoque iuxta ipſum fit. Sub hoc id eſt, vt tuvis, ſub os quod eſt σφηνοειδὴς. Iſthæc mediusfidius mihi admirabilis ἀναβομή. Etenim maxilla inferior Galeno ὑπὸ τὴν ἀπόφυσιν τὴν μαστοειδῆ, & vt cum recentioribus loquar ſub aurem διαρθροῦται: & ſi tui habita ratione, ἄρθρον maxillę inferioris cum oſſe quod eſt σφηνοειδὶς conferam, dicam maxillam pone os σφηνοειδὴς διαρθροῦσθαι. Hæc omnia quam vera ſint oculo diiudicabuntur. Non putetis iſta ſola hîc ſub eſſe vitia, in minimo verſiculo tot errores, vt vix græcum agnoſcam. Etenim iſtud κίνησις ἐν τῷ κροτάφῳ, Vertuniane, cum ex græco vertebas, quomodo, aut cur excidit? Aut quid eſt ſub os σφηνοειδὲς maxillam inferiorem cum caluaria committi? Si ad articulum recurris, nullus eſt cum caluaria maxillæ inferioris articulus, ſed infra caluariã totus eſt: ſi ad σαρκοειδῆ σύμφυσιν, illa non eſt ſub, imo ſupra os σφηνοειδὴς, & ad os temporis maxilla cum caluaria commiſſuram beneficio muſculi κροταφίτου habet. Heus tu, Scaliger, heus tu, perijt, interijt, occidit Vertu. niſi properas, ita crebris ictibus tuber ei eſt totum caput. Patronus Scaliger eſt, nec commi-

ſeratione digniſſimum clientem deſeret, cauſamque tutabitur vt ſuam, non refellendo quidem quæ nimium medicè quam vellent dicta ſunt, ſed ſi poſſit errori errorem opponendo, id eſt clauum clauo propellendo. Nam ἤ, ἡ ἀκοὴ πλησίον γίνεται αὐτῷ, meatuſque auris propinquus ipſi eſt, male verto. Hippocrates, Epheſius Rufus, Iulius Pollux, Marcus Tullius, (his enim auctoribus ſententiam meam confirmaui) adamantinum Scaligeri cerebrum nulla incude ſubigent, aut mollient, vt hîc ἀκοὴ ſit meatus auris. Quid ita Scaliger? quia γίνεται nunquam ſignificat id, quod εἶναι. Similes hîc ſemper habent labra lactucas, & grammaticus non niſi verbis, id eſt nugis, contra me armatur. Sic Dureti, exiſtunt, pro, ſunt, quas ſtrages dedit? Aduerſum vos tamen, propter tantulam rem, non exiſtam (ſic enim Cicero) crudelior; id eſt non ero. Ad meam cauſam redeo, Si γίνεσθαι nunquam eſt εἶναι, cur qui abeſt ἀπογίγνεται? qui rebus intereſt, διαγίγνεται? qui ineſt ἐγγίγνεται? non eſt in compoſitis ea vis niſi à ſimplici. Et quid eſt iſtud græcorum ἐν ταύτῃ γνώμῃ γίγνεσθαι, ſi non eſt, in hac opinione eſſe, nunc re differo. Hippocrates omnia inueſtigat, quibus τῶν κεχωτῶν ἀκούειν demonſtrare poſſit, ad quam nihil, vt nec ad vitæ neceſſitatē audiendi vis: cum qui ad Nili καταδοῦπα degunt ſurdi ſint, nec propterea vitam habeant cancellis anguſtioribus, aut amplioribus coar-

ctatam

At profundus, & sinuosus meatus, quem ossi λιθο-ειδεῖ natura insculpsit, de soliditate atque firmitate plurimum detrahit, & ad debilitatem viriúmque infractionem tãtum potest, quantum quiduis aliud.

In hoc Hippocratis ὀςέον ἰσχνότερον τῆς κορυφῆς, καὶ τῆ ἄνω aliquid addendum, atque sic legendũ ὄπισθεν τῆς κορυφῆς, καὶ τῆ ἄνω, asserui. Ad loci correctionem atque emendationem, flagriones, & verberones isti, ô flagra cessatis! tonant. sed digni sunt, qui de scena lorario ad flagrum tradantur. Loci enim vetustate deprauati restitutionem nobis inuident. Hippocrates os occipitis aut hic describit, aut (quoniam de occipite nihil alibi) omnino mutila est ossium capitis explanatio. At ὀςέον ἄνω, occiput nemo dixerit. sed nec ὀςέον κορυφῆς. Vt enim tum Aristotelis, Rufi, & Galeni auctoritate contendebam, μέσον ἰνίου καὶ βρέγματος, κορυφὴ est, καὶ λύσωμα τῶν τριχῶν. Vuidij Cornarijque codices (quãquam alter loco non reddidit) istud ὄπισθεν habuisse, latina ipsorum explicatio testificatur. Ratio & res ipsa meam in correctione fidem constantẽ loquitur. Etenim de osse quod sit ἰσχνότερον sermonem Hippocrates habet: tale non esse os aurium meatus auris iam confirmauit, sed nec os verticis: cũ τὰ κατὰ ὑψηλὸν (qualis est κορυφὴ) sint maxime σηραγγώδη. Sapite tandem vestro periculo, ne sępius exagitati doloris acerbitate intus ęstuetis, & flamma, atque inflammatio-

F

hę medullis viſceribúſque concepta deflagretis. Flammam ſcio;concipi probatis, inflammationem concipi,nō probatis: & ſi tumor is apud medicos facium ardentiſſimis flammis reſpondeat: maiuſque periculum ſit ſi iecur inflammationem, quàm ſi manus flammam conceperit. Verum hominum temeritas, aduerſus auctores optimos, quæ bella non cōcipiet? Nam cum quam ſuo loco τῆς ἕδρας mentio fuerit oſtenderim, tamen in obfirmata obſtinatione permanetis. Hippocrates in hiſtoria ſincipitis,& occipitis,vtrum,& quibus trōmatis magis minuſque foret obnoxium,quaſi digitum intendens attigerat. Supererat itaque, vt quæ fracturæ forent toti capiti communes indicaret:tales autem,inquit,ſunt ἕδραι.

In tota noſtra cauſa nihil eſt quod pertinaces in vobis eſſe animos,ab amore,ac ſtudio veritatis & ſapientiæ auerſos, & deteſtandæ cuidam ſuperbiæ mancipatos magis conuincat, denique quod tam vos ad inſaniam adigat,quā ἀγμή. κατάγματα enim ἐπάγματα, κατάξεις, ἄγματα, ἀγμοὺς fracturas eſſe dico, non autem ἀγμάς. Heſychij auctoritatem interpono apud quem ἀγμὴ eſt,ἰσία. Tu Scaliger per ſummam, & dictionis & rei ignorantiam librariorum errore inſertū vocabulum retines,& ἀγμὴν fracturam eſſe vis, quia te παλινῳδεῖν pudet. παλινῳδεῖς tamen cum in meum ἄνευ ῥωγμῆς,pro τὰ τρόπους ἀγμῆς inſolentius non inueheris,& ægre fers tuam ibi κρητικὴν ti-

bi defuisse. Interim ἀγμὴν pro fractura quomodo demonstras? Vt ῥωχμὸς, ῥωχμὴ, ita ἀγμὸς καὶ ἀγμὴ, inquis. Cuiacij successori (si modo suum imperatorem audit) in re inter nos controuersa sine certa lege loqui erubescendum est. Nullæ tabulæ, nulli testes, nullus vsus: fictum ergo nomen. Euolue omnia tua aduersaria quantum voles, & ad tuorum λεξικῶν singulos versiculos attēde, nunquā ἀγμὴ erit ἀγμὸς, nisi scenæ subseruiens rancidum aliquod exemplar ementiatis in quo ἀγμὴν reperiri fingas. Sed id frustra, vt & alia multa tentaueris.

In sui dissimilem Vertunianum acriter inuectum me quereris. Dolebam autem quod ἀπήχημα rimam esse simplicem nulli alteri coniunctam, & ad τειχισμὸν referri commentus esset. Nā Pauli τειχισμὸς est Hippocratis λεπτοτέρη, καὶ πάνυ λεπτὴ ῥωγμὴ, ὥστε οὐ καταφανὴς γίνεται: ac proinde cum contusione. Itaque nullum ἀπήχημα τειχισμὸς, quia si nulli, ergo nec contusioni copulatū. At omne telū quod facit τειχισμὸν graue est & durum, nec potest duritie findere, quin grauitate vnà contundat. Nisi forte Vertunianus telum referat ad eas δυνάμεις quæ sunt μετὰ λόγου, atque proinde τῶν ἐναντίων. Sed tam absurda, credo, nō vult. Quod hominē oscitātē fefellit, est, quod apud Galenum legerit ῥωγμὰς ἁπλᾶς quibus opponuntur αἱ θλάσεις. Tum vero Galenus tria facit in capite fracturarum tantum ge-

nera, & ξωγρὰς ἁπλῶς ἅπαξ αὐτὸ intelligit, sed καμαρώσεων, ἐγχωμάτων, quæ & ἐκγωμάτα, denique ἐμφλάσεων omnium ratione & comparatione.

In hac oratione κατὰ γε δίκην ἀλλ', οὐ γίνεται. post particulam ἀλλ' distinctione sententiam definiui. Duplex est error, inquit Scaliger, primus quod nullo exemplo id fecerim, secundus quod cum vulgo istud κατὰ γε δίκην, æque, verterim. Quod ad primum attinet, tibine hominum post homines natos omnium impudentissimo, vt hac lege, hac formula mecum agas licet? Asteriscum post ἀλλ' appingis. quo exemplo? De hoc libello plurima per summam perfidiam ac scelus aufers. quo exemplo? denique in hoc libello,

Diruis, ædificas, mutas quadrata rotundis.

Quo exemplo? Sed tamen quod ex æquo ac pro more fit, id κατὰ δίκην fit bone vir. & vult Hippocrates eos qui eo ttomate, quod est ἕδρα, moriútur, symptomatis alicuius quod præter consuetudinem oboriatur, ratione potius mori, quam κατὰ δίκην, supple τῆς ἕδρας, id est quam pro more morbi. Et eo modo dixit philosophus ῥέειν ἀπὸ τῶν μερῶν δίκην: atque sic nihil hic sine exemplo innouaui.

Ἴδια tibi proprietates ac differentiæ (vtroque enim sum vsus) non recte redduntur, sed melius species. Gal. Vndecimo methodi, ἴδια,

γένη, καὶ διαφορὰς confundit. In lib. 1. ἐπιδ. ἰδέας καὶ δια-φορὰς, καὶ τρόπους pro vno atque eodem accipit: Ego vero cur malim hic differentias ac proprietates, si modo lycæo Aristotelico operam aliquando nauasti, audi. λεπτόπνοον, λεπτὸν, μανὸν πυκνὸν, βραχύπνοον, ἀραιόπνοον, ἀραιὸν πυκνόπνοον, ἤτοι, χρόνον τὸ πυκνὸν, κατὰ τὸ λοιπὸν, βαθύπνοον, sunt Hippocratis ἰδέαι. id est, species, inquis. At, vt nunc vsitato scholæ peripateticæ verbo vtar, omnis species in abstracto, nulla in concreto dicitur. Sic enim Albedo species est, sed album accidens, ac communis quædam διαφορὰ, quæ cum in propositione de aliquo dicetur, vt homo est albus, in proprietatis naturam abibit. At quas Hippocrates ἰδέας tinatum esse vult, in concreto omnes vsurpantur. erunt itaque proprietates, aut si mauis (res enim eodem recidit) differentiæ: species vero non erunt.

Κατηφεῖν quasi esset ἀφανὲς positum culpabā, quod tam oratio Hippocratis quam extudendam curaueratis, quàm vestrę castigationes in eo sibi constarent: & qui tot monstra ex Africa vestra iam videram, rursus nouum aliquod generatum putabam: vos erratum librarij esse dicitis. Ego eum quem tabellæ mihi traditæ in qua ὄρχα, pro ὄρχια, scriptum fuit, excusationi locum dari velim: & si re cognita, maledici esse pergitis, & bacchādo insanire nō cessatis, in vestro, κατηφεῖν, de meo summo iure nihil

remittam. Vbi de alia Hippocratis oratione vobiscum communicauero, & quam tu Scaliger in ea lapsus fueris, & quam verè primæ suæ integritati restituerim docuero, vestrę epistolæ, & mihi, & meæ causæ satisfecero. Sic ergo se res habet. καὶ γὰρ λιπαρώτεραι τε καὶ πάλιν λιπαραὶ ὀσέα καταφανέες γίνονται. tu ὀσέα, deles; ego in ὥστε transmuto. In tua bacchica satyra, cur meum illud missum facis, nisi quia reprehendere non audes, & tuam κριτικὴν, quod ad id non aduerterit, tacitus accusas. Clausula sine sensu quã proxime sequitur, ὅτι δὲ αἴτιον, ῥωγμέων οὔτε αὐτίκα μετὰ τὴν τρῶσιν, οὔτε ἐν τῇσιν ἡμέρῃσιν ἐν ᾗσιν ἂν καὶ πόνων ὄφελος γένοιτο, τοῦ θανάτου τῷ ἀνθρώπῳ. Hãc deprauatam orationem deteriore lectione corrumpis. Sed vt tibi quicquid in Hippocrate non intellexeris facile fuerit eo modo corrigere, ita mihi in promptu est, te tuámque temeritatem cum sedulitate corripere. Vbi plurimũ in ista periodo desudasti tandem pro πόνων, πονῶν, & pro ὄφελος, τὸ τέλος reponis, ne nihil egisse videaris. Quid ergo τὸ τέλος θανάτου, est? aut vbi vnquam sic est locutus Hippocrates? Ionismus est, inquit Scaliger. Herodoti, & poetarum Ionismus esto: sed ne Hippocratis esto. Is enim si nunquam, vt nos Galenus admonet, oleum pingue dixit, id est si nulla eius oratio luxuriat, nunquam τὸ τέλος θανάτου dixit: est enim ἐν θανάτῳ τέλος, imo θάνατος est τέλος, & vltima linea rerum. Ex hac vestra sartagine & farragi-

ne, quem dignum Hippocrate sensum elicitis? tam esse exiguas eiusmodi rimas vt nec post acceptum vulnus, nec eo ipso tẽpore quo æger moritur, sub aspectum cadãt. O dignam & medico & Hippocrate orationem! Si medicus statim à vulnere, in cognitionem fracturæ non venit, aleæ & periculi plena res est: sed si tum cum moritur æger, venit, quid hoc ad ægrum cui nihil opis est allaturus? In eadẽ oratione quẽ me gessi? post τρῶσιν, καταφανέων quod deerat addidi. coniecturam ex eo, quod eodem sensu aliquanto post sequitur, καταφανὲς ἰδεῖν. αὐτίκα μετὰ τὴν τρῶσιν, probaui. πόνων, in πάνυ, commutaui. Quæ rediuiuæ orationis mens est? Exiguas rimas, quæ nec statim ab ictu, nec eo tempore quo ægris ex vsu est, oculo conspicuæ fuerint, causas esse mortis. An non hoc medicum? Sic enim Paulus περὶ τειχισμοῦ eodem fere modo. τειχισμὸς στενωτάτη ῥωγμὴ, ἣ τὴν αἴθησιν διαλανθάνουσα. διὸ καὶ πολλάκις λεληθυῖα, διὰ τὸ μὴ ἀκριβῶς γνῶναι τὴν σημείωσιν θανάτου γίγνεται αἰτία. Ex qua Pauli sententia facile quod in Hippocrate deerat, suppleui, & quod male scriptum fuerat, emẽdaui. Nõdum animos Scaliger deponit: quin quemadmodum Perses à Paulo vinctus de carcere literas scripsit, & in extrema cera regem se subsignauit: sic is demonstrationũ & auctoritatũ mole obrutus iterum exurgit. Quibus armis? suis, id est grammaticorum aucupiis. Imo ne suis quidem. Mihi enim iam tam

omnium rerum neſcius eſt, vt grammatici appellatione non digner. Nam ὄφελος γίνεται, vt ſit συμφέρειν, & ex vſu eſſe Græcè dici non credit. an quia neſcit, an quia non meminit? diſcat itaque aut recordetur iſtud Homericum πολλ' ὄφελος γίνεται πόλει, quod eſt vrbi ex vſu erat. Cum ego Franciſco Perrello auditori Hippocratico, & medico, me eo modo reſponſurum & virorum ſani iudicij calculo ſatisfacturũ profiterer: vos veſpas deteſtatus in hos verſus erupit, & vt aſcriberem rogauit.

Francica apis mella hîc condit fragrantia, veſpa
Pictonum nulla commoditate iuuat,
Inualidis pugnans verbis male cauta relinquet
Cum ſtimulis animam mox, ſibi cauſa necis.

Abundè videor & veſtris in me reſpondiſſe calumniis, & tam veſtra refellendo quam mea confirmando feciſſe, vt veſtræ literæ nullius ponderis habeantur. Quod ad L. Duretum attinet, is pro animi ſui magnitudine omnes quas in ſe ſcurriliter illiberaliterque iniurias immiſiſtis, tam nihil facit, vt ne nauci quidem, aut flocci faciat, atque reſponderi vetet. Sic aliquando Pyrrhus accuſatos aliquot Tarentinos, quod contra ſe inter calices maledicta cõiecißent, & de delicto confitentes, atque addentes, ſe procaciores etiam futuros fuiſſe, niſi pocula defeciſſent, cum riſu dimiſit. Quod enim veſtræ literæ nihil niſi Bacchum ſonent, quod veſtra mens immoderatiore vino extra

ſe po-

se posita, nihil nisi furorem spiret, denique quod vestra lingua propter peculiare in L. Duretum & me odium, à consessu medico Parisiensi (qui senatus quidam regum vobis videri deberet, nisi canes potius essetis, quam Pyrrhi Cyneę) acerbius habendo non temperet, quam his non dissimiles sitis manifestum euadit. Quod ad te spectat, Iosephe Scaliger in toto περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων commētario ad hác vsq; diē nulla mihi tecū fuit nisi de literis, & eruditione, & vter in hoc libello vincat, contentio, nec in posterum dum pensum absoluo, futura est. Qui si posthac famoso libello maledicus conuitiator esse pergis, contemnam nec respondebo: si grammaticōs, vt nunc facis, contra me disputas, vt aliquis, de Prisciani, Despauterij, ac Clenardi ludo satisfaciat, prouidebo: si aut medicè aut philosophicè mecum agis, id est, si ea quę Iulium Scaligerum magis, quàm Iosephum sapiant, in medium affers, ego ipse videro: interim ne me eum putes, qui hiscere vix audeat pro Hippocratis germana lectione nūc tibi resisto: & si aliquando Lutetiam veneris, & eum te putas, qui tuas castigationes tueri possis, en schola Cameracensis in qua tibi iniuriam factam cōquereris, patet, in qua ego tecum de tuis obseruationibus, quæ nulla demonstratione, nulla probabili cōiectura, nulla vetustioris exemplaris fide stabiliuntur, conferam, & aduer-

ſum te differam. Et ſi ne hoc quidem, te pro meo in libros medicos officio moneo & hortor, vt erga Hippocratem is eſſe velis, qui in Manilium, quem tuo nomine excudunt, fuiſti. Cum enim propter eius diſciplinę, quæ ad aſtra pertinet, ignorantiam, vereteris, ne in emendando grauiter peccares, tuas lucubrationes ad Ioannem Stadium virum omni laude digniſſimum, miſiſti: quas (vt hominis verbo vtar) acutiſſimas eſſe dixit, ſed ob ſcientiã de ſyderibus minus accurate perſpectam in pleriſque locis, maximéque in his, quæ ad Augusti γένεσιν pertinent, errorum plenas: itaque ſuo diligenti examine meliores fecit. Leuioris notę auctor non eſt Hippocrates, cuius libris, ars vitę & ſanitatis continetur. & cuius deprauatio, cum communi omnium hominum vitę diſcrimine coniuncta, facit vt in omnibus qui ipſum tractant ſanctior aliqua religio requiratur. Quod ſi aliter feceris, omnes Galliæ, Germaniæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Italiæque ſcholæ,

-procul ò procul eſto profane

conclamabunt.

FINIS,

ERRATA.

P. 3.linea 23,lege anquiri.
P. 9.l.vltima l.principum Veronensium.
P.10.l.7. & quomodo Fabius.
P. 16.l.25.l.καταπλάσσειν.
P. 23.lin.7.l. ἢ ὁμοχροίῃ.
P.24.l.penult.l. σκληρότατον.
P. 27.l.26.l.tegeres.
P.28.l.6 l.auceps.
P.eadem l.21.l.habere.
P.29.l.1 l.mimalloneo.
P.eadem l.2.l.ἀποχωρεῖον.
P.eadem l.14.l.tota.
P.30.l. 5.l.differrent.
P.ead.l. 18.l. τῇ διπλόῃ.
P. eadem.l.22.l.discriminis.